





1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

1714  
DISPUTATIO QUARTA

EX EPISTOLA PAVLI

AD ROMANOS, CONTINENS

ἐνάλυσιν primæ partis capituli  
tertij:

*Cujus positiones, divina adjuvan-  
te gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-

GIO, S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-

*fessore, in privato disputationum Theologi-  
carum collegio defendet,*

M. ELIAS EHINGERVS AVGVSTANVS.

*Prid. Calend. Februarij.*



VVITEBERGAE,

*Typis M. Georgij Mullerj, Anno 1596.*

REVERENDO,  
EXCELLENTISSIMO, PIETATE,  
doctrina atque autoritate Clarissimo viro, Dn.  
ÆGIDIO HVNNIO, S. S. Theologiæ Doctore  
eminentissimo, ejusdemq; Professore cele-  
berrimo, ac Ducatus Saxonici Super-  
intendenti dignissimo.

REVERENDO ET DOCTIS-  
SIMO VIRO, Dn. ELIAE EHINGERO,  
*pastori in patria ad Spiritum sanctum vigilan-  
tissimo, parenti charissimo:*  
*nec non*

REVERENDO, ET CLARISSIMO  
viro, Dn. DAVIDI SCHRAMO, Theologo-Philoso-  
pho solertissimo præstantissimoq; ; *πολλῶν ἄντα-  
ξίῳ ἄλλωρ.*

*Dominis Præceptoribus, Mecœnatibus suis  
magnis, omni observantia cultu dignissimis  
merita debitaq; subjectionis ergò hanc ex  
tertio ad Romanos capite disputa-  
tionem priorem conse-  
crat offert.*

M. ELIAS EHINGERUS  
Augustanus.

## CAPUT TERTIUM.

### EPISTOLA PAULI AD ROMANOS.

*Tertij capitis partes duæ sunt.*

**D** Rima continuat accusationē Iudæorū præcedenti capite institutam, quod sint sub peccato, alieni à justitia, diluens objectiones alias eorundem: Deinde concludit partem primam principalis tractationis ἀνασκησαστην, docens ex Legis operibus neminem justificari coram Deo.

Altera pars capitis continet propositionem secundæ partis, summam proponens doctrinam de justificatione hominis ejusq; causis.

Hac vice de priore tantum dicemus quæ itidē bipartita est: Primo enim tres diluit objectiones Iudæorum, superiori accusationi oppositas: Tum concludit doctrinam de reatu & injustitia omnium hominum, addita gravissima asseveratione, quod ex Lege non sit justitia.

#### *Prima objectio.*

Quia capite secundo Paulus discussis privilegijs Iudaicis, quibus maximè gloriabantur ostendit, nihil Iudæis ad justitiæ fiduciã concipiendam, vel in majorum sanctitate & generis prærogativa, vel Legis promulgatione, vel fœderis cum Deo stipulatione, vel circumcissione esse præsidij, poterant objicere adversarij: Nihil igitur est τὸ πειρασὸν Iudæo, nulla circumcissionis utilitas ver. 1. Hoc vero repugnat scripturæ Psal. 147. Deut. 4.

A 2

Respon-

Respondet Paulus fallaciam esse in argumento κατὰ τι. Non enim sequitur: In capite justificationis nihilo est Iudæus gentili melior: Ergo omnino nulla Iudæo est prærogativa. Fatetur itaq; larga concessione vers. 2. esse Iudæis quandam prærogativam, cuius præcipuum caput sit, quod ipsis credita sunt oracula Dei, factæ olim divinæ patefactiones, & commissus thesaurus divinarum scripturarum.

### *Secunda objectio.*

Si nulla est Iudæorum prærogativa præ gentibus, sequitur quod ob quorundam peccata & incredulitatem fides Dei promittentis, & hunc populum præ cunctis alijs sibi eligentis irrita facta fit: Quod justitiæ divinæ repugnaret, ob quorundam peccata animadvertentis promiscue in omnes, nec non veritati & constantiæ, promissionem factam retractantis.

Respondet Apostolus: Absit, Quin potius fit Deus verax, omnis autem homo mendax, Psal. 116, vers. 11, & Psal. 50, vers. 6.

### *Tertia objectio.*

Si Iudæorum injustitia occasionem dat justitiæ Dei illustrandæ: Ergo non potest eos Deus justè propter injustitiam damnationis sententiæ subijcere; Si veritas Dei magis fit conspicua per hominum mendacium: Ergo homines propter mendacium judicari non poterunt, & per consequens: Facienda sunt mala ut eveniant bona.

Respondet Apostolus profanitate objecti motus, non tam πρὸς τὸ πρᾶγμα, quàm πρὸς ἄνδρωπον data instan.

instantia: 1 Absit: 2 Deus orbem iudicaturus est ergo iustissimus est: 3. Secundum hominem loquor, id est, peto mihi non imputari alienæ profanitatis & impietatis reatum. 4. blasphemii sunt talia proferentes. 5. Iusta est eorundem damnatio.

## T H E S I S.

### I.

**L**iquot sunt aphorismi hoc textu Apostolico notandi, videlicet, Deus est verax; Omnis homo est mendax: Non sunt facienda mala ut eveniant bona.

### II.

Sed imprimis consideraandum est dictum, quo affirmat Apostolus: Fidem Dei non evacuari incredulitate hominum.

### III.

Fidei vocabulum hoc loco de veritate, fidelitate & constantia promittentis Dei intelligi debere manifestum est: Hæc igitur est Pauli sententia, promissionum divinarum certitudinem per se non pendere ex hominum amplectentium fide, nec everti eorundem ἀπιστία.

### III.

Nobis quidem tum demum firma fit promissio, quando fidei ἀληγοφορία eandem amplectimur, qua non subsequente nihilominus promissioni divinæ suæ perpetuo immota constat certitudo.

### V.

Latè patet axiomatis huius usus in controversijs dijudicandis: Impij & hypocritæ ad baptismi lavacrum accedentes eo quidem tempore quo baptisantur, cum non credant, promissionis divinæ fructum non percipiunt. At quia ex parte Dei in baptismo fit stipulatio fœderis cum Deo, si postmodum verè conversi credant, non est opus eosdem rebaptisari: Fidem enim Dei promittentis non evacuavit hypocritarum perfidia.

### VI.

Infantes in baptismo legitimo, fide & Spiritu sancto donantur: Sed fieri potest, ut adultiores facti hæc dona

peccatis contra conscientiam admissis excutiant, licet id protervè Calviniani negent.

VII.

Deinceps verò divina aspirante gratia ad sanio-rem reversis, non est opus secunda tabula, quasi promissio Dei in baptismo facta, planè sit evacuata, sed opus saltem est reditu ad eandem priorem gratiam, per salutare pœnitentiæ remedium? Ἀπισία enim hominum πίστιν εἶναι non evacuat, & 2. Tim. 2. vers. 13. Si nos non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest.

VIII.

Præsentiam corporis & sanguinis sui in administratione Cœnæ legitima, facta secundum institutionem, promittit & ordinavit Dominus. Hæc igitur non dependet ex fide vel incredulitate hominum utentium, sed ex fide & veritate promittentis Dei,

IX.

Non enim affirmat Christus, corpus & sanguinem suum tantum adesse credentibus in cœna, sed manducantibus & bibentibus. Quoad præsentiam igitur rerum cœlestium & integritatem Sacramenti nihil confert vel adimit hominum fides & ἀπισία, etsi utentium Sacramentis, quo ad salutarem usum, & præsentiae efficaciam, maxima est dissimilitudo,

*Conclusio primæ partis.*

Concludit Apostolus accusationem gravissimam Iudæorum & gentium generali sententia qua scopum disputationis superioris ipse explicat. Quid igitur? Præstant ne & meliores sunt gentibus Iudæi? ἢ πάντως. Antea enim causis evidentibus demonstravimus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse.

Quia verò universum genus humanum Apostolus partitur in hæc duo capita, quæ superiori disputatione distinctim tractavit, nunc complexu eorum usus de toto hominum genere demonstrat, omnes nemine excepto, esse sub peccato vers. 9.

Hanc thesin non suis sed scripturæ verbis proponit v. 10. usq; ad 17. Quorum summa hæc est, Neminem esse justum coram



coram Deo. vers. 10. Quia omnes sint peccato corrupti. Hoc partium hominis & facultatum præcipuarum enumeratione demonstrat, Mentis ver. 11. Voluntatis ver. 12. & reliquarum virium inferiorum, in quibus omnibus summam depravationem & ἀνομίαν accusat, docens allegata scripturæ testimonia ad Iudæos quoque pertinere v. 18. & ad duos fines spectare, 1. Ut totus mundus fiat reus Deo. 2. ut ἀδυναμία Legis in negotio justificationis nostræ conspiciatur.

### *Theses de peccato originis.*

I.

Corruptionem & depravationem totius naturæ humanæ per peccatum hoc textu considerandam proponit Apostolus.

II.

Phrasis scripturæ diligenter notanda est ut natura hujus mali rectè agnoscat: Siquidem id alij extenuantes, alij ultra modum augentes, præcipiti sententia erroribus implicatur.

III.

Hoc loco perspicua descriptio extat peccati originis, quæ sit ἀρυσία & ἐκκλίσις, inutilitas & declinatio, quarum illa privativa, hæc positiva mala per peccatum originis generi humano inflicta denotat.

IV.

Est enim horrenda destructio imaginis Dei in homine & depravatio omnium virium humanæ naturæ, ut sint inutiles ad percipienda vel agenda ea, quæ Dei sunt, & simul prava earundem inclinatio ad intelligenda & agenda ea, quæ non sunt Dei; quæ depravatio hominem reddit injustum reum iræ Dei & mortis æternæ.

V.

Dicitur peccatum originis usitata in Ecclesia appellatione, quia ex ipsa conceptione & nativitate nostra nobis inhæret: Nam primi parentes nostri, hanc naturæ totalem destructionem, quam voluntaria & spontanea sua inobedientia primitus contraxerunt, gignendo in liberos transmissere, dicente scriptura, quod genuerit Adam liberos, non ad imaginem Dei, ad quam ipse conditus erat, sed ad similitudinem suam. Gen. 5. v. 1.

A 4

Imago

## VI.

Imago Dei in primo homine fuit in mente excellens lux atque intelligentia, verè agnoscens Deum, secundum essentiam & voluntatem, & omnium creaturarum naturas vera & illustri noticia contemplans: In Voluntate fuit universalis obedientia, libertas, iustitia & sanctitas perfectè congruens cum Lege archetypi.

## VII.

Reliquis viribus affectibus & motibus inerat summa integritas & obedientia secundum iudiciū mentis & voluntatis, summa ac perpetua conscientiae tranquillitas acquiescens in Deo creatore expers omnis metus.

## VIII.

Hanc naturæ internam perfectionem secutæ sunt excellentes prærogativæ externæ, videlicet dilectio Dei erga hominem, societas cum angelis, dulcissima, cōstans & perfecta valetudo corporis in hac vita, & summa omnium operationum hominis perfectio, immortalitas, spontanea omnium creaturarum obedientia ad omnes homines nutus &c.

## IX.

Hinc ex opposito judicari potest, quæ sit peccati originalis in hominis natura conditio: In mente enim sunt caligo & cæcitas, ignorans Deum, & dubitationes de voluntate & providentia Dei & similia mala. De qua parte corruptionis inquit hoc loco Apostolus: Non est intelligens & requirens Deum: Et similia testimonia sunt Eph. 5. v. 7. Erasmus quondam tenebræ Ioh. 1. v. 5. 1. Cor. 2. v. 14.

## X.

In voluntate est inobedientia & aversio, vacuitas timoris & dilectionis Dei, & contra securitas carnalis, concupiscentia prava, & inclinationes malæ de quibus dicitur, omnes declinaverunt, non est qui faciat bonum, non est timor Dei ante oculos eorum. Cognata testimonia sunt, Rom. 8. v. 7. Genes. 6. v. 5. & 8. v. 21. &c.

## XI.

In corde & inferioribus viribus maxima est *ἀραξία* & inobedientia contra voluntatem Dei, nullum gaudium in Deo, nulla pax & tranquillitas conscientiae, sed contra, inordinati

dinati & illiciti motus & flammæ pravorum affectuum ruentium, etiam contra eas, quæ etiamnum reliquæ sunt in mentibus hominum, notitias : Psal. 14. Non est qui faciat bonum ne unus quidem : Sepulchrum patens, &c.

XII.

Hanc depravationem internam comitantur & sequuntur infinita propemodum mala, videlicet peccata actualia, societas cum spiritibus tenebrarum, morbi, errata consiliorum & actionum, creaturarum inobedientia & maledictio, ac denique ira Dei & mors temporalis atque æterna.

XIII.

Patet hinc, quæ sit peccati originalis ratio, videlicet quod non sit tantum aliena culpa, & reatus alieni facti, vel ablatio externi ornamenti cujusdam, ut scholastici senserunt, nec contrahatur imitatione, ut Pelagius finxit, nec externum & leve accidens quod naturam non inficiat aut mutet, sed quod sit misera & horrenda naturæ nostræ corruptio, fons omnium peccatorum & calamitatum.

XIV.

Quæ tamen ita sunt intelligenda & explicanda, ut discrimen inter opus Dei & Diaboli peccatum & substantiam hominis salvum maneat, cum peccatum originis neque in se sit aliqua propria substantia, separata à substantia hominis quæ hanc infecerit commixtione, ut Manichæi docuerunt, neque sit ipsa hominis corrupti animi & corpus, ut Flacciani delirarunt.

XV.

Perspicuum etiam est labem originalem esse communem omnibus hominibus nemine excepto: Omnes enim sunt caro de carne, Ioh. 3. Natura filij iræ : Eph. 2. Omnes declinaverunt, non est qui faciat bonum, ne unus quidem : vers. 14. Totus mundus est reus Deo. Rom. 3. v. 19.

*De Legis <sup>advantia</sup> in negotio justificationis  
nostræ coram Deo.*

I.

**S**Vpra cap. 2. dixit Apostolus v. 13. Non auditores Legis  
justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur.

Eademq; sententia alibi repetita extat in scriptura : Luc. 10.  
Hoc fac & vives : & 13. Si vis in vitam ingredi serva manda-  
ta, & docet Legem Dei esse perfectam & absolutam justitiæ  
normam, cui qui satisfacit, justus est coram Deo & hæres  
beatitudinis æternæ.

II.

Idem vero Apostolus de causis justificationis nostræ ex  
professo disputans, atq; utrum ex Lege, vel naturæ, qua gen-  
tes sola utuntur, vel divina, quæ Iudæis peculiari promulga-  
tione innotuerat, aliqui justificari queant, sollicitè inquirens,  
tandem hoc memorabili aphorismo disputationem claudit :  
Ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram illo,  
per Legem enim agnitio peccati est.

III.

Nec pugnant inter se hæc Pauli dicta : Factores Legis  
justificantur, & Ex operibus Legis nemo justificatur coram  
Deo. Prius enim loquitur de natura Legis, cui inest vis  
seu jus & potestas justificandi omnes perfectam eidem obe-  
dientiam præstantes : Posterius loquitur de facto, ostendens  
neminem omnino ex Lege justificari posse.

IV.

Causam immediatè præcedentia verba textus manifestè  
produnt, quia videlicet totus mundus est reus Deo, conclu-  
sus sub peccato, corruptus labe originali, ideo Lex est infir-  
mata per carnem, & caro Legi Dei non potest subijci, Ro-  
man, 8, vers. 3. & 7.

V.

Phrasis scripturæ, seu ut Lutherus loquitur Grammati-  
ca Spiritus sancti diligenter est attendenda, quid nimirum  
hoc loco significant Lex, opera, justificatio, singula enim vo-  
cabula corruptelis hæreticorum sunt obnoxia.

VI.

Nec obscura est mens Apostoli, de qua nam Lege loqua-  
tur : Papistæ justificandi vim tantum derogari sacrificijs a-  
lijque observationibus Leviticis ac ceremonialibus hoc di-  
cto autumant.

VII.

Sed textus evidentia falsi eos convincit, loquitur enim  
Apostolus de ea Lege, per quam est agnitio peccati vers. 10.

Ex

Ex qua Iudæi docebant alios non esse mœchandum, furandum, idolis serviendum Rom. 2. v. 21. 22. 23. quæ concludit totum mundum sub peccato & sistit reum Deo. Rom. 3. v. 19. Hæc esse propria attributa Legis moralis seu Decalogi negari nequit. Plura ex sequentibus capitibus argumenta pro eodem scopo stabiliendo possunt afferri, quæ in suum locum sunt differenda.

### VIII.

Operum vocabuli Papistæ tantum intelligunt opera facta à non conversis seu ante gratiã infusam. Sed Paulus quando hoc loco operibus Legis derogat justitiæ vim, ratione addita ostendit, se loqui in genere de omnibus operibus, quod justificandi vim nullam habeant, quia sint peccati originis deterrima labe infecta. Corruptionem autem naturæ non tantum in non renatis esse, sed etiam in conversis & regeneratis remanere, quam diu in hac vita sunt superstites, infra plenius probaturus est Apostolus, cap. 7.

### IX.

Adhæc quia universalis est negativa, qua utitur Paulus, non omnis caro, hoc est, nulla caro, & nullus hominum justificabitur per opera Legis, patet non excipi eos qui sunt renati & faciunt opera Legis ex Spiritus sancti virtute, cum & ipsi homines sint & opera ab ipsis facta ad Legis formam congruant.

### X.

Iustificatiõis vox quomodo in scriptura usurpetur, & quæ ejus vis sit in hoc articulo, sequenti disputatione *σὺν Δεῶ* dicemus: Si eam de absolute in judicio à sententia condemnatoria intelligas, vera est Apostoli sententia, quæ etiam hujus loci est propria, neminem per & propter opera Legis in judicio Dei justum esse.

### XI.

Si justificare intelligas justum facere ex injusto, per in hærentes qualitates, quæ significatio adversarijs allubescit in hoc articulo, contra Apostoli mentem, nihilominus vera est sententia & immota, ex operibus Legis sive fiant ante gratiam, sive post eam collatam & per eam (neq; enim desinunt esse

esse opera Legis quæ sunt à Spiritu sancto) neminem justum esse coram Deo, idq; hac de causa, teste Apostolo, quod totus mundus sit reus Deo & subjectus corruptioni peccati.

XII.

Quis autem sit Legis usus præcipuus in Ecclesia docent verba Apostoli vers. 20. Per Legem est agnitio peccati: Roman. 7. vers. 7. Peccatum non cognovi nisi per Legem. Quicquid igitur propriè arguit & accusat peccatum, id ad Legem pertinet.

F I N I S.



AB 22 841 (1)

ULB Halle 3  
002 043 793




Sb.


W19

Hilf.









1714

DISPUTATIO QUARTA  
EX EPISTOLA PAVLI  
AD ROMANOS, CONTINENS  
ἐναλλαγὴν primæ partis capituli  
tertij:

*Cujus positiones, divina adjuvan-  
te gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-  
GIO, S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-  
fessore, in privato disputationum Theologi-  
carum collegio defendet,

M. ELIAS EHINGERVS AVGVSTANVS,  
*Prid. Calend. Februarij.*



VVITEBERGAE,  
*Typis M. Georgij Mullerj, Anno 1596.*

